

trata, non prius tamen cives se dedidère, quàm sibi Imperator prima urbis privilegia, & libertatem secundum jura Sufatiæ permitteret; quod nomen alij secundum jura Sufatensium in Westfalia, alij verisimilius Holfatorum accipiunt. Dedita in hunc modum urbe, Imperator cives privilegij auxit, liberamque Imperij urbem renunciavit, quò constantius in fide Imperatoris & christianæ religionis persisteret. Sed ea urbs quantum olim præsidium christianæ religionis adversus barbaros Slavos, tantum nunc hæresis patrocinium, ejectis præscæ religionis Sacerdotibus ex Ecclesijs & Cœnobijs, immemor quam religionem Wicelinus noster, quam tot sancti Episcopi, Sacerdotes ac Monachi in Slaviam illam Occidentalem introduxerunt, servâruntque ad Lutheri tempora. Sanè Fridericus Imperator Henricum Lubecensem Episcopum, qui post Geroldum & Conradum tertius eorum Episcopus subrogatus erat, ob famam sanctitatis, & miraculorum adeo veneratus est, ut medicum illi suum, dum feбри afflicta-retur, submiserit: ea videlicet sollicitudine qua Carolus M. Sturmium olim Abbatem Eresburgi laborantem complexus, medicum illi suum adesse voluit.

Expugnata Lubecâ, Cæsar totam Transalbianam regionem Holfatiamque in fidem accepit: Adolphum Holfatiæ Comitem multis privilegij bonisque cumulavit: nihilque simul impensius habuit, quàm ut Episcoporum, Collegiorum, Canonicorum, & Cœnobi-orum jura & possessiones firmaret, augetetq;. Dux interim Stadæ se cõtinebat, in extremo Saxoniae angulo, Oppidoque Episcopatus Bre-mensis, ut munierat, firmissimo; & si casus obsidionis urgeret, certus erat conscensa navi se per mare subtrahere in Angliam.

At Cæsar reducto per Albim exercitu, castra sua circa Lunenburgum metatus consedit. Quo comperto, Henricus Dux, cum se om-nibus provincijs & munitionibus nudatum circumspiceret, posito tandem fastu, per amicos liberum ad Imperatorem accessum petijt; eoque impetrato, Lunenburgum venit; atque ut Imperatoris ani-mum mitigaret, Ludovicum Landgravium, & Hermannum fratrem Palatinum, quos captivos tenebat, liberos ad Imperatorem præmisit, coramque in gratiam recipi oravit. Imperator verò cum diceret id in sua potestate non esse, jussus est Quidlenburgi in conventu Principum se sistere: eo quoque accessit Dux; verùm cum istic, lite inter ipsum & Bernardum Ducem coorta, per seditionem omnia miscerentur, jus-sus est Erfordiae in comitio Principum causam dicere. Inter hæc Phi-lippus Coloniensis Archiepiscopus, imploratus à Sifrido Bremensi Archiepiscopo, cum exercitu Westfalico Stadam pro voluntate Im-peratoris expugnat, reddiditque cum toto comitatu tandem Bre-mensi Archiepiscopo, acceptis trecentis argenti marcis, quæ ex pacto expensarum bellicarum convenerant. Ea expeditione Coloniensis

Henricus  
Leo, Im-  
peratoris  
supplex,  
in grati-  
am &  
quasdam  
provinci-  
as restitua  
rogat.

Q9999

cetera